



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Q. 1. An Medicus, quando de ægri salute desperatum est, nec suppetit
remedium certius, applicare possit medicinam incertam, & dubiam, an
salutaris, anve noxia futura sit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS XXVII.

De Medico, ejusque obligatione.

Galenus Medicus quàm negligens est in visitandis ægris pauperibus non valentibus solvere, tam diligens est in invisendis, & curandis divitibus, & opulentis: Hinc vocatus ad Sabinam viduam prædivitem illicò comparet, ægramque invisit, sed morbum adeò auctum, & periculosum deprehendit, ut intra breve tempus sabinam extinguendam meritò judicet, cui tamen, ne pavore percellat nihil de morte cogitantem, & morbum augeat, periculum non manifestat, sed potius spem facit salutis. Nihilominus medicinas præscribit, & medicamenta adhibet varia, & etiam dubia, licèt sciat parùm, vel nihil profutura.

QUÆR. I. An Medicus, quando de ægri salute desperatum est, nec suppetit remedium certius, applicare possit medicinam incertam, & dubiam, an salutaris, anue noxia futura sit?

QUÆR. II. An, & quomodo peccet Medicus, si ægrum periculosè decumbentem non moneat de instante mortis periculo?

QUÆR. III. An peccet Medicus recusans ægros pauperes invisere, & curare, non valentes solvere salarium?

160 **A**D I. Q. censent non pauci cum Abb. in *C. tua nos de homicid. n. 4.* Sylvest. *V. Medicus, q. 4.* Salas *tr. 8. D. un. Sect. 14.* Angel. *V. Medicus n. 2.* Azor. *l. 1. inst. moral. cap. 17. q. 11.* Vasq. *D. 64. c. 4. n. 22.* aliisque cum & apud Palaum *tr. 1. D. 2. p. 9.* Medicum non posse licitè in tali casu id remedium dubium ægro desperato applicare. Moventur, quia si tale dubium remedium non applicetur, mors infirmi subsecuta non imputabitur culpæ Medici, sed violentiæ morbi tribuetur; si verò applicetur, vita ægri periculo exponitur, qui fortè, eo non applicato restitueretur sanitati, vel saltem diutius viveret; atque adeò Medicus applicans talem medicinam incertam,

certam, & dubiam, quantum est de se, applicat causam efficientem mortis, quod utique illicitum est.

161 Contrarium tamen probabilius docent Valent. 2. 2. d. 2. q. 10. p. 2. Sanch. l. 1. c. 9. n. 39. Arriag. D. 24. n. 25. Laym. tr. 1. c. 5. §. 3. n. 15. Bonac. D. 2. q. 4. p. 9. n. 23. Clavis Reg. n. 9. Reginald. n. 99. Adrian. de sacram. Confess. 9. de correct. fratern. alique arbitrantes posse Medicum in tali casu tale medium dubium, & incertum licite adhibere, & applicare tali infirmo: imò Sanch. & Bonac. l. c. non solum id Medico licere affirmant, sed etiam eum obligari ad tale medium applicandum. Rationem dant; quia, cum vita infirmi sit desperata, Medicus in eo casu prudentius agit, & negotium infirmi utilius gerit, tale medium applicando, quam non applicando: nam applicando fieri potest, ut infirmus virtute talis medicinæ à morte liberetur; non applicando verò relinquit infirmum in statu desperatæ salutis: Quod si mors sequatur, ea non est tali remedio imputanda, cum id sequatur præter applicantis voluntatem, & aliàs eo remedio non applicato, æger moriturus erat:

Unde tutius est applicare tale remedium, quod licet non careat periculo accelerandæ mortis, est tamen conjunctum cum probabili a-

liqua spe conferendæ salutis, sicque minus inde periculum nocu- menti habetur, & majus fundamen- tum emolumentum.

¶ Cæterum cum hinc agatur de vita, & periculo corporis, debet Medi- cus securiorem viam ingredi, adeoque sententias sequi certas, & securas, rejectis incertis, & du- biis; quòd si certa curatio non oc- currat, tenetur sectari ea, quæ probabiliora judicat, posthabitis opinionibus minus probabilibus, quia & Medici officium, & lex cha- ritatis postulat, ut ea adhibeantur remedia, quæ ad propositum sani- tatis finem magis idonea sunt, & profutura: quin imò et justitia, quia Medicus ratione pacti saltem impliciti, quod in susceptione sui officii subit, & Reipub. adstringi- tur, procurare debet sanita- tem alterius meliori modo, quo potest, præsertim cum sanitas res sit maximi momenti, & vita semel perditæ reparari nequeat.

Ad 2. Q. Medicum per se lo- 162
quendo graviter delinquere, si æ-
grum periculosè decumbentem per
se, vel per alios de instante mor-
tis periculo, quod prævidet, non
moneat, non immerito censent S.
Anton. 3. p. tit. 7. c. 2. Sanch. l. 3.
c. 16. Navar. c. 25. Graff. l. 3.
c. 17. Angel. n. 12. Tabien. V.
medicina, q. 14. Beja, alique. Ra-
tio est, quia non monendo non lo-
lum